AMBROSIUS MEDIOLANENSIS

Österreich, 12. Jh. Seite 27r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26265
Copyright: Admont, Benediktinerstift

27

Sermo enim tediosus iram excitat. Quam vero indecorum
ut cum omnis confabulatio habere soleat incrementum
gratie, habeat nervum offensionis. Tractatus quoque
de doctrina fidei, de magisterio continentie, de
disceptatione iusticie, adhortatione diligen
tie non unus semper, sed ut se dederit lectio nobis et
arripiendus est et prout possumus persequendus, neque
nimium prolixus neque cito interruptus, ne vel fastidium
derelinquat vel desidiam prodat atque incuriam.
Oratio pura, simplex, dilucida atque manifesta,
plena gravitatis et ponderis, non affectata elegantia
sed non intermissa gratia. Multa preterea de ratione di
cendi dant precepta seculares viri, que nobis pretereun
da arbitror, ut de iocandi disciplina. Nam licet
interdum honesta ioca ac suavia sint, tamen ab ec
clesiastica abhorrent regula. Que enim in scrip
turis non repperimus, ea quemadmodum usurpare
possumus? Cavenda sunt etiam in fabulis ne inflec
tant gravitatem severioris propositi. Ve vobis qui
ridetis quia flebitis, ait dominus, et nos ridendi mate
riam requirimus, ut ridentes illic fleamus? Non so
lum profusos sed omnes etiam iocos declinandos arbitror.

De ratione octa
naria laude deco
rata.

De cavendis
iocis.